



# **Obsidio et expugnatio Traiecti ad Mosam, facta auspiciis ... Frederici Henrici... M DC XXXII**

<https://hdl.handle.net/1874/291691>

OBSIDIO ET EXPUGNATIO TRAIECTI AD MOSAM.  
 Facta auspiciis Potentissimorum DD. Ordinum Belgicæ Fœderatæ, Virtute Ill.<sup>mi</sup>  
 FREDERICI HENRICI, Arausionensium Principis, etc. MDCCXXXII.



1. Porte S. Pierre
2. Porte de Linckel
3. Porte de Wymeringen
4. La vieille porte de Landoverre
5. La porte de Wicchten
6. La Commanderie
7. Les Moulins l'œuvre
8. Le pont de Pierre
9. Porte S. Martin
10. La porte de Stogbruggen
11. Ouvrages faits par le C. de Siron, pour empêcher le passage de l'armée du Roy, quitta et delaisa par le commandement du Prince d'Orange, attendant la venue du Comte Pappenheim.
12. Ouvrages faits par les gens du Roy, après la retraite de C. de Siron.
13. Le lieu ou Pappenheim fit des affluës.
- ☐ Batteries.
- ☐ Corps des gardes
- + Croixes
- \* Moulins à l'œuvre.

688

61

cere, in Transversam munitionem omnibus viribus ire, quam valida manu expugnare, sed ob vim hostilem, quæ octingentis militibus pugnabat, deserere, desideratis pluribus nec infimi nominis ac dignitatis. Missæ cohortes aliquot ultra Mosam, quæ Hispanorum traiectiones impedirent. Brederodii stativa, quibus imminere hostis, tam valide munit labor nostrorum & industria, ut impossibile crederetur petri posse. Accursum mox pugnatum inter Gallos & Hispanos traiectionem cum pontonibus tribus molientes, quorum plurimi umbilico tenus in flumen acti, Hispanis in nos è tribus suggestibus magno damno detonantibus. At Gallorum fortitudo actis in fugam hostibus victrix evasit, occisis captisque quadringentis, inter quos centuriones sex, signiferi tres. Occubere hac pugna Marchio Teauvensis, & Centuriones duo Faullonius & Fraxinus, Vicecenturiones Boisius & Fayus. Tam crebri hac tempestate fuere imbres, ut præter solitum intumescens Mosâ ampliorque factus traiectiones hostium difficiliores fecerit, ipso celo aërique benignitate pro Batavis pugnantem. Non multo post Princeps per Stakenbroeckium tumultus fecit in Hispanorum castris. Selectis equitibus octoaginta & totidem è peditatu, plures buccinis & tympanis instruit, hac manu imperum fecit in stationem hostis, & buccinarum plurium clangore & tympanorum strepitu adventum universi exercitus mentiebatur. quo facto tantus terror fuit Hispano, ut præformidine arma capere non potuerint. Stakenbroeckius perruptis vallibus penetravit in vigillum usque receptum, in quo Centurionem ictum offendit. Verum coactis in arma & ad pugnam dispositis hostibus, numero longe inferior Stakenbroeckius se ad suos recepit, abductis captivis plurimis in Stationem Brederodii. Propè urbem de Transversa disceptatio erat, accensusque cuniculus ab hoste parum damni fecit. Marchio de S. Croce trifariam divisio milite irruptionem moliri videbatur, sed videbatur tantum. hostis Maseicum missis copiis Principi causam dedit cõsubmitendi Comitum Stiromium cum cohortibus aliquot pedestribus, etiam ducem Bullionæum cum turmis equitum viginti ne trajiceret hostis. per quæ impediti conatus hostiles fuere. Biduo post arcem Argentinam quæ Traiectum inter & Leodium Mosæ ex alto incubat occupavit Bullionæus, ne commeatum Leodiensem interciperet Hispanus. Hæc inter in Accessibus pugnatum varia fortuna fuit, accensioque cuniculo per Tribunalium Maysonium præsentem Principe is rei eventus fuit, ut irruente post rupturam Gallo hostis ad ipsam usque urbis fossam truderetur, interfectis faucibus hostium centum, Gallorum quadraginta. At continuè ex urbe explosionibus abscedere coactus fuit miles noster, submissisque Wallonibus ferociter in mediam noctem pugnatum, donec redintegrate milite pugnantibus obsessis, & hi se recipere. Hostis non semel scaphis modo octo modo duodecim militem in oppositam ripam transferre nitentur, sed grandi suorum damno, pluribus captis, aliis interfectis, scaphis aliquot flumine haustis. Hæc dum in castris geruntur, advenit centuriis triginta stipatus Comes Guilielmus Nassovius, postquam ad Scaldim victor arces plurimas expugnasset nempe illam Crucis, aggeris Couwesteinii tutelæ impositam, & S. Jacobi, S. Ambrosii, S. Martini, S. Annæ, aliasque. Post pugnas in ipsis urbis fossis super lorica frequentes, accensisque hinc inde vario eventu cuniculis, insidiatum usque fuit tabellionibus, qui litteras ad hostem transferrent. Obsessi ope feminarum usi deglutientes illis dabant globulos, capsulasque minores quibus epistolæ clau-

debantur. earum ut potirentur nostri, cathartico vehementiore cum saburra expulere globos vel capsulas. Iam advenerat obsessæ urbis expectatio omnis & solatium Papehamius, jactoque trans Mosam ponte cum munimento defendebat. Primum hostilis in nos instituti documentum dedit, explosis in Stationem Comitum Mauricii machinis. nec diu post, in ipso meridie, Sole tantorum operum teste, in eandem movere cepit. Quo cognito Verius alique duces etiam ipse Auriacus eò se recepere, disposito in aciem peditate, & post hunc equite. Videbantur obsessi conscio Papehamio grande aliquid ceptare, ut uno eodemque tempore invaderent medios, sed fessillisse illos stata temporum momenta probabile, cum decies è monte, ubi castra erant explosisset Papehamius. quibus peractis, sex septemve millibus è monte descendens partim peditate, partim equite, hac illac vagus oberrabat, dubius animi quam castrorum partem adoriretur. Locatis machinis duabus campeltribus post aggerem opera tumultiaria aggestum, in arboriceto. Tum magno impetu eam aggerum nostrorum partem invasit, ubi S. Walburgii Fanum est, ipsi aggeribus infertum. Iamque aggeres conscenderant, & confertis manibus cum nostris pugnabatur, quorum armis ac virtute depulsi aggeribus, ruebant veluti fato damnati & vitæ prodigi. At Papehamius equitatu à tergo instans, fatiscientes denuo ad pugnam hortabatur. Auriacus machinis duabus majoribus, quas secum adduxerat, in hostem directis, eam per adversas cohortes stragem fecit, ut cadaveribus longe lateque sternerentur campi. Quo suorum adverso Marte permotus, receptui signum dedit, desideratis mille quingentis. Pugnatum fuit ab hora prima usque in octavam & nonam vespertinam; ablatis de nocte per Papehamium castrorum cadaveribus. Tunc urbi ultima impendebant fata, traducta namque per Anglos vinea, penetratum in urbis moenia fuit, sed deprehensio ab obsessis cuniculo & ablatis aliquot pulveris pyrii vasibus, non illo, qui sperabatur, eventu dissiliit. Parte tamen moeniorum subruta & in fossas devoluta, miles, cui ob pertinaciam obsessorem devota erat exitio urbs, tanto furore conscendit, ut in altitudinem Lxx pedum enitendum pugnantem fuerit. Obsessi desperatione & metu extremarum calamitatum animosiores, ruinam occupare, balistis, saxis, piceis ferris, omni armorum genere se tutati, ut consultum judicaverit Auriacus sufflaminari impetum & recedere suos. At obsessi, veriti, ne secundus impetus fatalis urbi foret, deditioem rogarunt, quod impetraverit; missisque hinc inde obsidibus, transactum super deditioem honestis militiæ conditionibus fuit. Egressi urbe fuere militum mille & quadringenti, concessaque militari more machinæ aliquot majores minoresque fuere. Papehamius ponte Mosam trajicere parans ad latus Leodiense accepto deditioem nuncio in castra rediit. Urbe validissima potitus Auriacus, Stakenbroeckium & Tribunalium Pinsium cum copiis in ducatum Limburgensem mittit, qui erecto suggestu, directisque in Arcem Limburgensem machinis post explosionem triginta sex eam deditioem accepit. Comes Guilielmus Nassovius cum octo peditum legionibus & duodecim equitum turmis ad obsidionem Orloy abiit, cui se Lx centurias adducens Baro Didius junxit. Deditum & hoc oppidum post tridui obsidium fuit. Quibus, propitio Numine, gloriosè confectis, moris castris victor Auriacus in Hollandiam rediit, omnium civium passim inde & Fœderatorum Ordinum applausu & gratulatione exceptus.


Adventum Papehamii.

Evitus conatus.

Deditio Traiecti ad Mosam.

Inde Limburgi & Orloy.

Anno c l o l o c x x x i i .



Expeditionis causa.

**I**BAT Annus trigessimus secundus supra milleimum & sexcentimum, cum Fœderati Belgii Ordines Rempublicam suam variarum urbium Arciumque expugnatione celebrem fecere. Etenim distractis Regis Hispaniarum copiis per Germaniam, quo Ferdinandi Cæsaris imperia adversus Suecorem hostiles impetus & successus tutarentur, commodum ac necessarium judicavere maturè ac pubescente anno exercitum educere, tum ut afflictos Germaniæ Proceres & fœdere junctos Sueonas à suppetiis Hispanicis vindicarent, tum ut terris suis novum robur præfidiumque quærerent. Quamobrem ductu & moderamine Celsissimi Principis FREDERICI HENRICI, Arausionensium Principis, evocata ex hybernis passim signa, iussa sunt prope Neomagus Geltriæ illustre oppidum convenire in diem Maji vigesimum secundum. Verum cum adversis ventis fluminibusque hærent rates, quæ militem vehebant, imperatum uti excenderet & terrestri itinere per aggerem Tielsenem ad dictum locum se conferret. Tum indictæ per provincias omnes Supplicationes, ne sine Numine tanta aggredierentur Patres Patriæ. Quibus peractis scire se præscripto loco equitum peditumque legiones, armis & apparatus militari conspiciæ. Aderant Prætoris centuriæ septem, Wynbergius decem ducebat, Verius Britannus viginti tres, Morganius undecim, Harwodus duodecim, Packenhamus undecim, Comes Solmensis septem, Brederodius duodecim, Varicius octo, Borgius septem, Bucklugius & Balfortius singuli totidem, Dominus Beverwartii novem, Lojus octo, Comes Ernestus undecim, Frisii tredecim, Comes Guilielmus duodecim, Ferentius quinque, Erentuyterius octo, Roscreansius quinque, Gentius duodecim, Chastillionæus undecim, Haunterivius undecim, Dux Candala & Maifonius singuli totidem, Comes Mauritius quatuordecim, Pinsius decem, Comes Hanovix octo. Omnes legionibus viginti octo, centuriis ducentis, octoaginta unaque definiebantur. Ibant legiones ordine pulcherrimo trifariam divisæ. Primum agmen Belgarum erat, Secundum Gallorum, Tertium Anglorum. Præter hæc peditum signa Equitum conspiciabantur turmæ quinquaginta octo, singulæ suis quoque legionibus distinctæ, quarum omnium agmen triplex quoque. Primum Propræfectus equitatus nostri Stakenbroeckius agebat, secundum Comes Stiromius, tertium Dux Bullionæus. Tormenta ducebantur numero octoaginta tria, majora & minora, currus vehendo commeatu mille quingenti, quorum centum cistas pane bis cocto plenas habebant, qui-

Militum Numerus.

bus centum mille pondo continebantur. Ad hæc duodecim oblongæ naves, quæ sternendo ponti usui essent, equis trahebantur. magna insuper currum vis sequebatur, castrensia impedimenta bellicque necessitates veçantium. Sic ordinario exercitu, mandatum singulis, ut in dies quinque sibi de victu prospicerent, inque Mokeranum ericetum procederent. Inde progressus exercitus ipsius Calendis Junii arcem Arseniam per præmissos sclopentarios nostræ potestatis fecit, nec longè eo die ab oppido Venloa confedit. Parte exercitus sub Comite Ernesto Ruræmundam missa. Victa tamen magno labore Venloa Fœderatis cessit. Post quæ mota castra Ruræmundam versus, quæ nullam vim experta postero se die dedit. Inde Maseicum processere militares copię, & duobus Maseico distans miliaribus oppidulum Sittartium in ducatu Iuliacensi occupavere. Nunciatum tum Auriaco Comitum Iohannem Nassovium militum delectorum duo millia Traiecto ad Mosam immisisse. Illuxerat Majo decimus cum castra ad urbem locaret ex præscripto Architectorum castrensium Princeps, suisque Stationibus distingueretur omnis circumvallatio, quæ rudi opere adversus subitam invasionem brevi absolvebatur. locata prope Stativa Pinsii tormenta bellica quinque obsidionis initium faciebant, sed quia longius ab urbe aberant, minus obsessis nocebant. Castris indies novum accessit robur à castellis, operibus cornutis, turribus castrensibus, fossis, semilunis, aliisque munimentis. Nostris accessus suos & vias obsidionales molientibus, scaviere supra modum perpetuis tormentorum jaculationibus obsessi, ut necesse fuerit objicere caeca, ut vocant, sepimenta oculis jaculatorum. quin & ipsi Principi imposita necessitas fuit amovendi longius ab urbe domicilii. Amœnissimus castrorum erat conspectus, ut quæ parte sui in montibus, parte in vallibus, parte in apertis ad fluminis ripam campis spectabantur. Primæ hostium eruptiones in Gallorum & Anglorum accessus vim ferre, sed successus profusus irritus. Adventabat per hæc tempora Marchio de Sancta Croce exercitu hostili Tangros usque, unde resecro milite progressus, castra unius horæ à Stativa Auriaci itinere posuit. hic è sublimiori turre accensis ignibus, machinisque majoribus viginti quatuor explosis quater spem liberationis è propinquo suis ferre. qui istorum indiciorum gnari pari tormentorum strepitu è mœnibus respondere. Mox propius se castris Principis applicuere Hispani, cognitumque per exploratorem, qui per triduum hostile agmen secutus fuerat, exercitum Hispanorum centum & septuaginta octo peditum centuriis, equitum turmis LXXVI constare, machinas trahere tum majores tum minores Lxx, currus nongentos. Interea operas in urbem urgere nostri, pilas in Semilunare opus objectum portæ Wymeringana & urbem ja-

Villa Venloa & Ruræmundam.

Traiectum ad Mosam obsideretur.

Circumvallatio Traiecti ad Mosam.

Accessus ad urbem.

Hostium castra.

Pugna in accessibus urbis.